



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. An non nouerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Evangelio dixisse legimus: nunquid inde Dominus loquebatur, & non potius de duabus voluntatibus hominum, bona scilicet & mala; istam bonam, illam malam arborem dicens: quia de bona voluntate bona opera nascuntur, & mala de mala, nec possunt bona de mala, & mala de bona? Quod si nupius tanquam arborem bonam, secundum istam quam commemoravit Evangelicam similitudinem posuerimus, profecto ex contrario fornicationem posuerimus arborem malam. Quamobrem si homo ita dicitur fructus nuptiarum, tanquam bonus ex arbore bona, proculdubio nasci homo de fornicatione debuit. Mala quippe arbor bonos fructus non facit. Porro si dixerit, non illic arboris loco ponendum esse adulterium, sed naturam potius humanam, de qua nascitur homo. Breui compendio responderi potest. Concupiscentiam ut est potentia naturalis, bonam esse, sed eo modo non vocari concupiscentiam à Patribus, sed naturalem inclinationem. Ea vero est per se indifferens. At vero ut deficit, ad mala propendens eo voluntatem inclinat, sic vitiosa est, & origo malorum. Homo porro, quia effectus est naturalis sœcunditatis & eius appetitionis, seu qua non concipitur, bonus est. Qua de concupiscentiæ defectu & vetere Adamo originem trahit, etiam peccatum trahit, & ob hoc malus nascitur.

VERSUS 23.

Et tunc confitebor illis, Quia nunquam novi vos: discedite a me qui operamini iniquitatem.

QVÆSTIO I.

An non nouerit?

§. 1. **N**otitia Dei hoc loco pro cognitione cum affectu, & approbatione accipitur. Quosdam nunquam nouit, quia semper inimici fuerunt, etiam cum miracula faciebant. Quosdam aliquando nouit cum facerent iustitiam; deinde eandem descilientes obliuiscitur. Nam velut incognitos delerit, quos suos per vitæ meritum non agnoscit. Augustinus in Psalm. & Serm. 23. de verb. Dom. Non nouit illos qui noui omnia? Quid est ergo non noui vos? Improbo vos, reprobo vos. Hoc est autem magnum & nescit vitia, & indicat vitia nescit faciendo, indicat arguendo. Et in Psalm. 36. Qui nouit Dominum scit à Domino. Nouit iustos, nescit iniustos. ideo iniustus dicit: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: nescio vos. hoc est, quia me ipsi nescire voluistis. Opera vestra me nesciunt: facta vestra me nesciunt. Et si dicatur, quia me nescitis redarguit vos peccata vestra.

§. 2. Causa additur, quia sunt **פְּעֻלָּתָם**, operatores iniquitatis: quidam libri addunt **פְּעֻלָּתָם**, omnes. Sed alia exemplaria probatoris notæ non habent. Non: ne dubitandum est, quin omnes operatores iniquitatis odio habeat. Nec hic villa est distinctio, de illis qui iniquitatem operantur, ut non imputetur; neque enim ait duplices esse operatores iniquitatis, alios quibus imputentur, alios qui libere sine Dei ira actiua & passiuâ operari malè possunt. Quæ ex se constat operum bonorum necessitas.

VERSUS 24. 25.

Omnis ergo qui audit verba mea hæc. & facit ea: assimilabitur viro sapienti, qui edificauit domum suam super petram. Et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat super petram.

QVÆSTIO I.

Quæ illa domus?

§. 1. **D**omus est spiritalis, quam quisque Dei gratia in animo suo struit. Fundamentum duplex; primum est fides cum caritate, quæ est firma Petra. Altera fides sine operibus, & est arena. Nam primum audit verba & struit, hoc est credit, sed non facit. Altera audit & facit. Non potest magis ostendi, quam nihil fides sine operibus adiuuet. Maldonatus Fidem solam arenam, opera cum fide petram esse. Primum petram esse Christum, huic imponi petram, fidem & opera, ac si arena sit, eam facile defluere. Chrysostomus, Christum ædificare supra petram fidei: Tossanus interpretatur fidem veram, operantem & constantem. Diabolus ait ille ædificare supra arenam infidelitatis. Augustinum etiam lib. 2. de Serm. citat, sed falso. Citatio hæc est: Non facit hic Christus duplicem petram, sed ostendit non esse statim firmos & bene fundatos, quicumque audiant Dei verbum, sed illos demum, qui toti in Christum recumbunt, & qui, quod audiunt, faciunt. Veritas autem ista: Conclusio ergo huius totius sermonis quam terribiliter inferatur, valde attendendum est. Omnis ergo, inquit, qui audit verba mea hæc. & facit ea, similis est viro sapienti qui edificauit domum suam super petram. Non enim quisque firmat quæ audit vel percipit, nisi faciendo. Et si petra Christus est sicut multa Scripturarum testimonia prædicant, ille edificat in Christo, qui quod audit ab illo, facit. Sequitur, descendit pluuia, venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non potuerunt illam mouere: fundata enim erat supra petram. Non ergo iste metuit vllas caliginosas superstitiones. Quid enim aliud intelligitur pluuia, cum in mali alicuius significatione ponitur? Aut rumores hominum, quos ventis comparatos puto. Aut vitæ huius fluxum, carnalibus concupiscentiis, tanquam fluentem super terram vel petram. Horum enim trium qui prosperitatibus inducitur, aduersitatibus frangitur: quorum nihil metuit, qui fundatam habet domum super petram: id est, qui non solum audit præcepta Domini, sed etiam facit. Et his omnibus periculose subiacer, qui audit & non facit: non enim habet stabile fundamentum, sed audiendo & non faciendo ruinam ædificat.

Non modo Catholici, sed quidam etiam sectariorum de operibus interpretantur; Wolfgangus Musculus, eo refert illud Iacobi 1. Non audistores, sed factores verbi saluabuntur. Ridiculi enim est putare fores ægroti, vocato medico, patere & latere, decreta eius audire, phar-maco abstinere.